

Die Urkunden Ludwigs II., 72

In nomine domini nostri Iesu Christi dei aeterni. Hluduicus divina ordinante providentia imperator augustus. Si petitionibus fidelium nostrorum, quas nostris auribus patefecerint, libenter annuimus et eas ad effectum perducimus, hoc nobis procul dubio ad mercedis nostrae augmentum et aeternam beatitudinem capescendam pertinere confidimus. Idcirco notum sit omnibus fidelibus sanctae dei ecclesie ac nostris presentibus ac futuris, quia Angelbertus vaenerabilis abba ex monasterio sancti Saluatoris sito in monte Amiato adiens serenitatem culminis nostri ostendit nobis quasdam auctoritates inmunitatis Karoli bisavi et Lhudouici avii nostri et Hlotharri genitori meo seu et Pipino dulcissimo vel nos ipsi concessimus ad habendum in ipso monasterio, ut ibidem intret ex quo omne iudicium. Continebatur etiam insertum in ipsas auctoritates, qualiter iam supra dictum monasterium sancti Saluatoris, quod est situm in monte Amiato in territorio Clusino, sub eorum iam dictis successoribus nostris inmunitatis defensione suscepereunt. Deprecans, ut et nos pro firmitatis gratia super easdem nostram addere non denegaremus auctoritatem. Cuius petitioni libenter adsensum prebuimus et hanc nostram auctoritatem circa idem monasterium fieri decrevimus, per quam precipimus atque iubemus, ut nullus iudex publicus vel quislibet ex iudicaria potestate in aecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones memorati monasterii, quas in ipsas supra dictas auctoritates iuste et legaliter continet vel que deinceps ad iure ipsius loci divina pietas voluerit augeri, ad causas audiendas vel freda exigenda aut mansiones vel paradas faciendas aut fideiussores tollendos aut homines ipsius monasterio tam ingenuos quam et servos super terram ipsius conmanentes distingendos nec ulla superinpositas vel occasiones requirendas nostris et futuris taemporibus ingredi audeat vel ea, que supra memorata sunt, penitus tatibus, qualiter successores nostri per quasdam ad ipsum monasterium confirmassent, id est casalia duo, que dicuntur Paliani et Causulano, de ista duo casalia portiones tres, que uno capite tenentur in monte Amiato et alio in Palia flumine, a uno latere decernit finis Suanensi, ex alia parte adiacet casalis sancti Philippi, id est per fossato, qui vocatur Palia, usque in monte Amiate, etiam et alia loca de finibus nostris super scriptis Clusinis, hoc est casale uno, qui positum esse videtur in Reodola, cum cassis terris et silvis et familiis omniaque ad manus suas habentia, hoc sunt unctias quinque; et alio casale, qui est in Muxone, cum cassis terris et silvis et familiis et omnia ad manus suas habentia; et alio casale, qui vocatur Erminula, cum cassis terris et silvis et familiis omniaque ad manus sua habentia, cum VI untiis in ipsis casalibus, aldiis pro aldiones, servis pro servis utriusque sexus secundum pertinentiam suam, pariter cum eorum omnium adiacentiis vel pertinentiis. Quas etiam, sicut supra diximus, simili modo confirmamus, ut nulla eidem huiusmodi calumnia inferatur, sed liceat ei suisque successoribus res predicti monasterii cum omnibus ad se iuste et legaliter aspicientibus sub inmunitatis nostre defensione quiaeto ordine possidere et, sicut supra scripsimus, absque ullius hominis iudicium intrare. Et ut hec auctoritas confirmationis nostre firmior videatur atque in omnibus meliorem obtineat vigorem, manu propria eam firmavimus et anuli nostri inpressione adsignari iussimus.

Signum (M.) domni Hludouici serenissimi augusti.

(C.) Herincus domni imperatoris cancellarius advicem Dructemiri recognovi et (SR.) (SI.
D.)

Actum Papia civitate palatio regio; in dei nomine feliciter amen.